

invaderent sua confinia regalia; tunc si d. rex mittet pro ipsis, tunc ire debeant adminus cum decem armigeris equitum, de qualibet generatione prenomi-
nata, cum suis sumptibus et expensis usque ad flumen Draue, inde uersus Vnga-
riam ad expensas d. regis, usque quo exercitus duraverit, debeant permanere,
et sic extitit ordinatum de anno nostre redemptionis. Millesimo. C^o. secundo.

Ex antiquissimo Historiae Salonitanae Thomae Archidiaconi manuscripto, in Bibliotheca Comitis Fanfogna-
Garagnin Tragurii asservato.

XIX.

Anno 1103. die 15. Junii.

Colomanus, Hungariae et Croatiae Rex, antiquas donatio-
nes Ecclesiae Spalatensi factas, confirmat.

In nomine domini nostri Iesu Christi, anno ab incarnatione eius MCIII.
die XV. Iunii. Colomanus, Dei gratia, Hungariae, Dalmatiae, Chroatiae, Ramae-
que rex. Consideratis fidelibus ac deuotis obsequiis ven. patris D. Crescentii,
Spalatensis archiepiscopi, nobis per ipsum exhibitis, eiusque prece dignanter in-
ducti, donationes ac confirmationes regum atque Principum et aliorum dominorum,
ad instar priuilegiorum Ecclesiae Spalatensis, quae in priuilegiis, literis, vel an-
tiquis montaneis (id est codicibus) ipsius ecclesiae conscripta habentur, praesentis
priuilegii pagina confirmamus auctoritate regia; ac pleno iure subiicimus eidem
archiepiscopo, suisque successoribus et Ecclesiae Spalatensi. Omnes vero Episcopa-
tus, quos ad praesens obtinet ipsa Ecclesia per Dalmatiam et Chroatiam,
omnes villas et possessiones et alia, ad eandem Ecclesiam spectantia, praesertim
villam S. Georgii de Putalo, vt ab olim donata fuit; cum omnibus hominibus in
ea residentibus, seruis et ancillis, et eorum omnibus bonis; villam Syrenine,
Gese, Tugari, Asseti, similiter cum seruis et ancillis et eorum posteris; Eccle-
sias Sanctae Mariae de Salona, et Sancti Stephani, et S. Moysis, et Ecclesiam
S. Bartholomaei cum omnibus prouentibus earundem; villam quoque Hosizan,
villam Ostrog, villam Labenam, et totum territorium de Smina; villam in Cleuna
Sudumirizam, et villam in Lesina Stolez; decimas praeterea Cleunae, Zetinae,
Clissiae, et eius districtus; Massari cum toto monte magno Politii, et decimas
Almissii vsque Mucarum. Quae omnia supra dicta volumus, quod teneat, possi-
deat, regat, atque gubernet perpetuo Spalatensis Ecclesia, ac eius Praesules, sine
alicuius perturbatione, seu molestatione, pacifice et quiete. Si quis autem in
praemissis, vel quolibet praemissorum dictam Spalatensem Ecclesiam, vel ipsum
Archiepiscopum, et eius successores molestauerit, vel turbauerit, iram Dei et